

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 78. (Neovidensis 1807. Nro. 77.)

Politicum mortuorum Colloquium.

Elysium-Meum.—Die Martis 6. October. (Neovid. 22 Sept. 1807.)

Ad Hafniae Incolas
Bis conatus erat casus effingere in igne
Bis Patriae cecidere manus.

Aeneid. l. 6. v. 33.

Francis. Drake. — Frideric. Gössel.

Drake. Sed amice! quomodo potest defensio nihil profutura, aut nullam securitatem habitura suscipi?

Gössel. Drake tu nosti vitæ meæ cursum! Scis, me vel ab umbra iniquitatis alienum fuisse; scis me esse Danum; cui vehementer dolet, quod eo tempore, quo Populares tui Angli, Patriam meam adgressi sunt, in mundo superiore præens esse haud potuerim. Crede mihi Acheronta movissem, ad amovendam tam iniquam, & sine ulla causa susceptam invasionem, & vexationem,

Drake. Audi obsecro Historiam oppugnationis Hafniæ. Angli Populares mei pro securitate sui Classem Danicam petebant, ideo, ne eam inimicus in Contiente dominans pro se extorqueret, eaque uteretur. Petitio hæc repulsam passa est. Conservatio

Angliæ, & Jus majoris potestatis in mari (horrendum utique Jus, prout Jus inimici nostri in continente) fecit, ut bellum erumperet, & Classis traderetur. Bellum itaque inchoatum est. Angli 2. Septembris ex parte maritima Hafniam tormentis oppugnabant, quia excensione facta, postulatis ejus satisfieri non poterat. Usque 5. Sept. oppugnatio ex tormentis duravit. Quæ 400 & amplius domos destruxit, 2000 & amplius Incolas vita privavit. Tandem de pactatione & Capitulatione actum fuit, in eoque coaluere, ut Classis Danica in optimo statu armis instructa, usque ad confectionem universalis pacis Anglis traderetur. Tum Classis Anglicæ rursus abitura.

Gössel. Violenta, in rebus Politicis inaudita, & omni fundamento carens susceptio, & conatus! & vos, vos adhuc Civilisatam Nationem nominare audetis?

Drake. Est Jus Civilisatum Potentioris.

Gössel. Tantum mihi in Superiore mundo esse licuisset; profecto —

Drake. Quid effecisses quæso?

Gössel. Omnes Incolas Seelandiæ in unum coegissem, Anglos aggressus, & Victoria positus fuisset.

Drake. Erras; Angli enim antequam excensionem fecerunt, & Hafniam, & Classem igne delere poterant. Non tibi constat, a Nelsonæ ante aliquot Annos prope Hafniam consistente nulla excensione facta, tam Hafniam, quam Classem comburi potuisse: —

hæc excensio per Anglos eo solum fine facta est, ut Classem Danicam integram, & in bono statu in suam potestatem redigere possint.

Gössel. Bene, superbe Britanne! tui igitur Populares ad tollendam Classem venire; ego vero si in Mundo superiore fuisset, Popularibus meis id consilii dedissem, ut Classis ante Anglorum adventum flammis daretur; hæc ratione Anglis adempta fuisset occasio excendendi, Hafniam oppugnandi, homines necandi, domos comburendi, & tantam calamitatem inferendi. Angli, postquam nihil habuissent, quod tollant, redivissent bellum evitasset, omnia in suo statu mansissent.

Drake. Hoc fine dixi, defensionem nihil profuturam & nullum felicem successum habituram, prout illa sub Nelsono 1801.

Gössel. Abominabilis status!

Drake. Nunc primum, incipit bellum abominabile. Nam post pacem in Tilsit conclusam Angliæ nulla amplius spes formandæ Coalitionis relicta est, suis unicæ viribus innixa agere debet; cujus nunc consilium illud est, ut omnium aliarum Aularum naves bellicas, & Classes ubi ubi poterit, occupet, aut profliget, ut nemo ei bellum indicere possit. Ephemerides Anglicæ referunt, de 2. Septemb. Supremum Classis Ducem Collingwoodium eos accepisse ordines, ut Classem Russicam, quæ ad Tenedum fuit, in Mari Mediterraneo persequeretur, eamque occuparet. Effectui datur nunc dictum Pitii dicentis: ut nulla navis in mari sine indultu Angliæ navigare audeat.

Gössel. Aeterno odio, & perpetuis inimi-
citiis exponetur superba Insula Angliae. Moni-
teur de 17. Septemb. sequentia scribit: Rex
Sveciæ heri ex Insula Rugia ad suas Provincias
rediit. Baro Toll Dux exercitus Svecici refert,
Nautas Imperatoris advenisse, multas naves
congregatas, omniaque parata esse ad excen-
sionem faciendam in Insulam Rugiam. Mar.
Brüne misit ad eum Gener. Neolle. Baro Toll
obtulit Neutralitatem, ad quam oblationem ni-
hil respondi datum est. Hinc Baro Toll ipse
Stralsundiam profectus, & sequens capitulatio
coaluit. Magna est Regis Sveciæ, & exercitus
erga Anglos indignatio. Ii Ordines facti sunt,
ut omnes Portus Sveciæ ad statum defensionis
reponantur. Fide digni rumores referunt, Sve-
cos in expeditionem Anglorum contra Daniam
minime conense.

Capitulatio Insulæ Rugiæ. Hodie 7. Sep.
1807. Infrascripti convenire in eo: 1. Exer-
citus Svecicus Insulam Rugiam deseret, eam-
que exercitui Gallico consignabit. 2. Militia
Gallica in Insula Rugia capiet possessionem il-
lius tractus terræ, quæ a Gústovia usque Dra-
mendorfium extenditur. 3. Intra 8 dierum spa-
tium exercitus Svecicus se retrahet versus Vit-
toviam, Jasmundum, & Puthum. 4. Intra 12.
dies Sveci Vittoviam, & Jasmundum relinquent
5. Spatio 20 dierum exercitus Svecicus recedet
ad orientalem plagam Provinciæ, & intra Spa-
tium unius mensis relinquet totam Insulam
Rugiam, cum Insulis Ummantzia, Hiddensee,
Vilmia, Rügen, & Greifswald. 6. Intra idem

temporis spatium, quod pro exercitu Svecico definitum est, tradentur Fluvii Pomeraniæ, & Rugiæ. 7. Si tempore plenæ perfectæque resignationis adhuc ægri, aut res ad exercitum Svecicum pertinentes remanserint, officialibus Svecicis ad id constitutis & ægrorum, ut primum convaluerint, & rerum relictarum transpositio incumbet. 8. Liberum erit Svecis in Portu Pomerano pro translatione rerum suarum naves conducere. 9. Naves vero ad Portum Pomeranum & Rugiensem pertinentes, nunc vero transponendo exercitui Svecico determinatæ, fideliter remitti debent. 10. Si navis militibus aut rebus ad militiam pertinentibus onerata ad oras hujus Insulæ, aut Pomeraniæ casu devenit, illi auxilium feretur, & pro neutrali habebitur. Signatum Stralsundia die, mense, & anno ut supra. Infra scriptus Brüne Regni Marschallus, Dux exercitus suæ Majestatis Imperatoris Gallorum, & Regis Italiæ; I. P. Baro Toll, Gener. Dux exercitus Sveciæ in Insula Rugia.

Omnia, quæ de inimicitiiis Russos inter & Turcas spargebantur, fundamento, & veris rationibus carent. Monitor de 19. Sept. complectitur pacionem armistitii Russiam inter & Portam Ottomannicam, sequentis tenoris:

Cum & Porta Ottomannica, & Aula Russica, bello utrique Imperio exitioso finem imponere sincere optet, & pacem unionemque Mediatore Imperatore Gallorum & Rege Italiæ, amplecti in votis habeat, hinc in eo coe-

luere, ut illico armistitium conficeretur; hinc utrinque plena potestate instructi sunt, & quidem ex parte Portæ ottomannicæ sua Excellentia Said Mehemed Galip-Effendi, ex parte vero Aulæ Russicæ, sua Excellentia Generalis Sergius Lascaroff, suæ Majestatis Imperatoris Russiæ intimus Consiliarius, & plurium ordinum Eques, qui coram Domino Colonello Guilleminnt Suæ Majestatis Imperatoris Gallorum, & Regis Italiæ Alegato in sequentibus Articulis convenere.

1mo Ut illico post signatum armistitium utriusque Cæsarei exercitus Duces utpote Sua Celsitudo Magnus Vezérius, & Sua Excellentia Michelson ubique locorum omnes inimicitias penitus sistant, impediantque.

2do Illico a subscriptione præsentis Armistitii utrinque plena potestate instructi denominabuntur, qui in apto, convenienteque loco de pace tractabunt, & concludent. Si durante tractatione pacis nonnullæ difficultates exoriantur, quæ negotiorum tractationem impediant, armistitium tamen non prius quam primo vere nimirum 21. Martii 1808 rumpere & violare licitum sit.

3tio Illico post confirmatum armistitium militia Russica sensim Valachiam, Moldaviam, aliasque Provincias, & omnia Fortalicia durante hoc bello occupata, relinquet, se que versus suos antiquos limites retrahet, ita, ut intra spatium 35 dierum a concluso armistitio omnia memorata loca a Russica militia vacua leberaque sint.

luere, ut illico armistitium conficeretur; hinc utrinque plena potestate instructi sunt, & quidem ex parte Portæ ottomannicæ sua Excellentia Said Mehemed Galip-Effendi, ex parte vero Aulæ Russicæ, sua Excellentia Generalis Sergius Lascaroff, suæ Majestatis Imperatoris Russiæ intimus Consiliarius, & plurium ordinum Eques, qui coram Domino Colonello Guillemint Suæ Majestatis Imperatoris Gallorum, & Regis Italiæ Ablegato in sequentibus Articulis convenere.

1mo Ut illico post signatum armistitium utriusque Cæsarei exercitus Duces utpote Sua Celsitudo Magnus Vezérius, & Sua Excellentia Michelson ubique locorum omnes inimicitias penitus sistant, impedianque.

2do Illico a subscriptione præsentis Armistitii utrinque plena potestate instructi denominabuntur, qui in apto, convenienteque loco de pace tractabunt, & concludent. Si durante tractatione pacis nonnullæ difficultates exoriantur, quæ negotiorum tractationem impedirent, armistitium tamen non prius quam primo vere nimirum 21. Martii 1808 rumpere & violare licitum sit.

3tio Illico post confirmatum armistitium militia Russica sensim Valachiam, Moldaviam, aliasque Provincias, & omnia Fortalicia durante hoc bello occupata, relinquet, seque versus suos antiquos limites retrahet, ita, ut intra spatium 35 dierum a concluso armistitio omnia memorata loca a Russica militia vacua leberaque sint.

B I O G R A P H I A

Gössel (Fridericus Christianus) Daniæ Regis Camerarius, & Conferentiarum Minister in Ducatu Slesvicensi, natus ibidem 8. Augusti 1722. Ab ineunte ætate distinxit se per sinceritatem, et rigorem. Nunquam induci potuit, ut folium, aut rem quameunque aliam, quæ sequiori sexui e manibus ceciderat, levaret, quia se inclinare noluit. Provectoris ætatis dicere solebat, inclina te coram Deo, & Coronæ Principe Daniæ. Cuidam Pastori animarum sermone Gallico dixit: Vous n'etes pas un bon predicateur. Per Patrem suum Daniæ Regis Ministro propositus, qui ei illico regium Servitium promisit. Peto, inquit is veniam, & quid solutionis habiturus sum? reposuit Minister: initio nihil. Ego vero gratias humillimas ago pro tali servitio, respondit temerarius Juvenis. Brevi tamen cum Salario accommodatus est. Per suam prudentiam, & peritiam in rebus agendis omnium animos sibi conciliavit. Puer in Bibliotheca Patris deprehendit Baylii Historico Criticum Lexicon, huic se inpendit. Hinc factum est, ut de omnibus rebus dubitaret. Usque ad annum 34 ætatis suæ libere sentiebat, perturbationibus animi in varios errores, & immoderatum vivendi modum inductus. Hoc tempore facta ejus conversio, quam cuidam Pastori animarum in acceptis referebat. Fuit Legatus pluribus annis Constantinopoli, Italiam, Galliam, Hollandiam, Hispaniam, Asiam, & oras Africæ lustravit, & scientiam suam valde auxit. Cognitione Historiarum & Lia-

guarum excellerat. Redux ex Legatione in provectiore ætate privatam vitam duxit. Multos annos exegit Slesvicii cum sua Familia, & amicis, quos æquitas, veritas, aliæque dotes ornabant.

Drake (Franciscus) Celeberrimus Angliæ Heros, qui sub regimine Elisabethæ floruit, natus anno 1545 Taristockii in Provincia Devoniæ. Per iter, in mari meridionali per viam Magellanicam a nemine Anglorum adhuc tentatam, susceptum, nomen suum immortale reddidit. Die 13. Decemb. 1577. in Anglia navim suam mari commisit, & 3. Novemb. 1680 Plimuthum rediit, spatio itaque 2 Annorum & circiter 10 mensium iter suum confecit. Postquam Patriæ suæ multa fidelique servitia præstitisset, mortuus est Anno 1595—96 in propria navi in India occidentali. — Plimuthum multa in acceptis debet Drakio, hic enim anno 1587 opera & industria sua aquam in eam e remoto fluvio derivavit.
